

zeitlich auff's Disputiren und Streiten verfallen, das viele Streiten mit den Papisten wäre darzwischen kommen, und sey dasselbe ohne dringende Noth zu hefftig, und als das Hauptwerck getrieben. Imo ipse HUBERVS, qui tamen alias magno cum iudicio de opere Reformationis iudicat, *Instit. Hist. Civ. P. II. L. I. sect. III. p. 251.* non admodum alienus ab hac sententia esse videtur: *Lutherus - - liberiore & affectuum impotente natura, a quibus characteribus, si quid ejus Reformationi simile impressum videatur, non est mirandum.*

§. II. Sed pleraque haec iudicio praecipitato proferri, suadent (I.) Rationes Theologicae, & quidem  $\alpha$ ) *Momentum controversiarum Theologicarum cum Pontificiis, quod non ex cerebrina cujusdam imaginatione, utilitate privata, Praeceptorum autoritate, sed sola & unica Scriptura aestimari debet, non agitur enim de rebus vilioribus, speculationibus, subtilitatibus ad Scholasticos relegandis, verum de rebus ad salutem comparandam creditu maxime necessariis, quarum si non ignorantia, tamen negatio damnat.*  $\beta$ ) *Motas ac probe in infinitum ventilatas controversias, non veritati coelesti, ejusque defensoribus, potius vero frivole contradicentibus, & temerariis oppugnantibus esse adscribendas, adeoque manifestam in DEVM & religionem esse impietatem, si isti, qui Orthodoxiae causam, legitime ex Verbo DEI institutam, sine adhibitis pravis affectibus, vi officii & conscientiae suscipere tenentur, scommatibus, contumeliis, aliisque maledictis ac factis petantur, imo nomine turbatorum Reipublicae veniant, quod exemplo Eliae 1. Reg. XVIII. comm. 17. & 18. cognoscimus.*  $\gamma$ ) *Religionis dissensiones minime esse signa malae causae, & falsae alicujus doctrinae, verum tentationes, & in veri agnitione ac professione saluberrimas confirmationes, δὲ γὰρ αἰρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δοκιμοὶ φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν, Oportet enim esse sectas in vobis, quo, qui probati sunt, manifesti fiant inter vos 1. Cor. XI, 9. imo, quod D. Lutherus*